



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. D. Thomæ Delbene Marvbiensis, Clerici Regvlaris,
Sacrae Theologiae Professoris ... De Immvnitate, Et
Ivrisdictione Ecclesiastica**

Bene, Thomas del

Lugduni, 1674

viiij. An priuetur, qui furatur in Ecclesia, & sacrilegus?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98676](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98676)

men commissum sit in Ecclesia: & merito, quia in Constitutione Gregorij XIV. excipitur tantum homicidium, & mutilatio commissæ in Ecclesia. Rouitus ad pragmat. de Sodomitis, in Ru. in nouis addit & Farinac. 8 in append. de immunit. cap. 6. num. 98. & seqq. qui rectè tamen aduertit, quod si Pontifex in tali casu (sicut & in aliis similiter grauioribus) consulari, daturus sit facultatem vt sodomita ab Ecclesia extrahatur; præsertim, si de pluribus actibus sit infamatus, quod requirit citata Constitutio Pij V. per ly exercens, vt ex communi contra Ioan. de Vela de penis delict. cap. 33. Ceuallos part. 2. quest. 87. n. 4. Salzed. in addit. ad præf. crimin. Bernardi Diaz, cap. 8. lib. C. Cherubinum in compendio Bullarj, consil. 72. Pij V. schol. & Aldrete lib. 2. cap. 15. §. 5. num. 28. docent Nauar. cap. 27. num. 249. vers. tertio dico. Azor part. 3. lib. 3. cap. 19. num. 2. Suar. de cens. disp. 31. §. 4. num. 21. Genuens. in prax. cap. 97. num. 1. Quaranta verb. Sodomia, limit. 4. Portel. in du. R. gul. verb. Pœnati. 7. Sayr. de cens. lib. 7. c. 12. n. 23. Graff. part. 1. lib. 2. cap. 90. n. 12. Rodriguez in summ. part. 1. cap. 268. num. 2. Riccius in prax. tom. 3. resol. 78. & Auila de cens. part. 7. disp. 4. concl. 7.

10 Obiicies, adest in contrarium decisio 155. Francisci de Castillo, part. 2. in qua habetur, quod in Curia Archiepiscopali Panormitana fuerit decisa quendam, qui sodomiam in dormitorio sui Monasterij commiserat, immunitate non gaudere; ergo.

Respondetur ex mox supra dictis, quod decisio illa fundata fuit in literis arbitrariis à Pontifice Archiepiscopo illi concessis: quapropter stando in terminis iuris, merito reprobatur decisio illam del Castillo Carolus Maranta in controuerf. iur. part. 2. respons. 36. num. 22. & 23.

SECTIO VIII.

An immunitate priuetur, qui furatur in Ecclesia, sicut & sacrilegus?

SUMMARIUM.

- 1 Furans in Ecclesia etiam res sacras, & quicumque alius sacrilegus (licet crimen sacrilegij grauissimum sit) non priuatur immunitate.
- 2 Sacrilegium tendit specialiter contra reuerentiam Deo debitam.
- 3 Sacrilegus in sententia multorum Doctorum priuatur immunitate.
- 4 Sacrilegus ob rationes supradictas non priuatur immunitate, & quia in Constitutione Gregorij XIV. excipitur solum sacrilegium ob mutilationem, & homicidium in Ecclesia commissum.
- 5 Amplius id esse verum, licet fur sacrilegus confugiens ad Ecclesiam rem sacram furto sublatam in Ecclesia conuictet.
- 6 Qui conterit sacra, indignus est vt illis teneatur, non tamen inspecta pietate Ecclesie.
- 7 Principes seculares non possunt quidquam statuere circa immunitatem Ecclesiasticam.
- 8 Atestantes de consuetudine legitime introducta contra Ecclesie immunitatem, videant, quid affirmem.
- 9 Fur qualiscumque ille sit, sue sacrilegus, sue non sacrilegus, rebus furto sublati, vt possit spoliari, recurrendum est ad iudicem Ecclesiasticum.
- 10 Fur sacrilegus subest iurisdictioni iudicis Ecclesiastici, cum sacrilegium sit mixti fori.
- 11 Fur sacrilegus, & quicumque in Ecclesia delinquit, capi potest à Ministris Ecclesiasticis, & datur locus priuentioni.

12 Quin ad mentem aliquorum, si videbitur Episcopo, tradit potest potestati seculari, obiecta prius cautione, saltem iuratoria, de salute delinquentis.

Respondetur, quod immunitate neque priuatur, qui furatur in Ecclesia, etiam res sacras, vel quicumque alius sacrilegus (quamvis sacrilegium crimen grauissimum sit, & specialiter contra reuerentiam Deo debitam tendat, faciendo eam speluncam latronum, ob quas rationes multi Doctores, quos refert, & sequitur Guttier. præf. 99. lib. 3. §. 1. num. 33. Farinacius de carcerib. §. 28. num. 47. sibi contrarius in appendice loc. infra citando, Decian. tom. 2. lib. 6. cap. 26. num. 7. Boerius de iur. 109. n. 3. Godofredus à Bauto in prax. crimin. lib. 2. §. sacrilegium, num. 23. Ignets in l. g. 1. n. 20. ff. ad Syllan. Castrus consil. 458. num. 1. lib. 2. Bobadil. in Poli. tom. 1. lib. 2. cap. 14. Sarpus de iure asyriorum, §. 5. fol. 43. Tuschus verb. Eccle. 4. concl. 11. num. 19. Cutellius de immunit. Eccles. lib. 1. §. 2. & §. 7. num. 12 & §. 34. num. 18. & Petri Gregor. syntagm. iuris cap. 2. num. 2. tenent, quod sacrilegus in immunitate priuatur, moueor ob easdem rationes supradictas, & quia in Constitutione Gregorij XIV. excipitur solum sacrilegium ob mutilationem, & homicidium in Ecclesia commissum, quapropter cetera sacrilegia excepta non sunt, sed sub privilegio immunitatis includuntur. Atque ita docent Cardin. in cap. fin. de immunit. Eccles. Nauar. c. p. 25. n. 19. Ambrosin. de immunit. cap. 5. num. 6. Tuschus tom. 3. lib. E. concl. 11. num. 16. & 17. Couar. 2. ar. cap. 20. num. 35. Pe-regrius de immunit. Eccles. c. 12. num. 10. Bonac. disp. 3. §. 3. de immunit. punct. 4. num. 3. & punct. 5. n. 7. Nouarius in summ. Bullarum, tit. de immunit. num. 4. Riccius part. 1. decis. 110. Lezana verb. Immunitas, num. 8. & 16. Char-tarius decis. crimin. 7. num. 7. & decis. 9. num. 7. Sperellus decis. 9. num. 11. Diana part. 1. tract. 1. resol. 17. & part. 6. tract. 1. resol. 9. (vbi ex Barbosa in Collectan. Bullar. c. b. Immunitas, refert sic determinasse sacram Immunitatis Congregationem in vna Squillacensi 18. Martij 1632.) Barbosa de iure Ecclesiast. lib. 2. c. p. num. 123. Gauantus in addit. ad Episcop. verb. Immunitas Ecclesiastica, num. 8. qui ex Farinacio contra Naldum verb. Ecclesia, num. 5. id etiam extendunt ad furantem in Ecclesia Pyxidem sanctissime Eucharistie Sacramenti.) Castrus Palaus tom. 1. tract. 11. disp. 1. punct. 9. n. 3. Mar. Ital. de immunit. Eccles. lib. 1. cap. 5. §. 3. num. 75. & seqq. Genuens. in prax. cap. 33. num. 8. & Farinacius in append. de immunit. cap. 16. num. 99. qui subdunt, id esse verum, etiam si fur sacrilegus, confugiens ad Ecclesiam, rem sacram furto sublatam in Ecclesia conuictet.

Obiicies ex Cutellio loc. supra cit. q. 4. conteris sacra, indignus est, vt illis tueatur, cap. frater, 17. q. 4. ergo.

Respondetur: indignus est, vt illis tueatur, si attendatur Ecclesie pietas, quæ sic magis elucet, nego; indignus est, vt illis tueatur, si attendatur eius delictum, concedo. Vnde solum sequitur, quod fuerit quidem fundamentum condendi talem legem, vt scilicet talis sacris non tueatur, non tamen quod de facto condita sit, præsertim cum contrarium potius constet ex dictis.

Obiicies secundò, statutum Principum (saltem in 7 aliquibus locis, vbi est copia furum) est in contrarium, vt scilicet fur, præsertim si furetur in Ecclesia, immunitate priuatur: ergo. Sic Sarpus loc. supra cit.

Respondetur, transeat antecedens. At hoc nihil obstat, quia Principes seculares non possunt quidquam statuere circa immunitatem Ecclesiasticam. Vide Farinacium in append. de immunit. cap. 6. num. 25. Alexandrum lib. 7. consil. 145. cum 4. Decianum lib. 3. consil. 80.

n. 28. & Sperellum *decis.* 59. n. 33. Vide etiam quæ lib. de *Parlamentis*, d. b. 27. per totam, & præcipue *sect.* 5. per suas subsectioniones, & *supra* cap. 8. per totum, diffusè dicebantur.

Instabis, est saltem in contrarium consuetudo legitime (videntibus scilicet, & in odium delicti consentientibus Prælati Ecclesiasticis) introducta: ergo, &c. Ita Sarpus *ubi supra*, Villalob. in *sum. tom.* 2. r. 39. *disp.* 5. n. 2. Suarez de *relig. tom.* 1. lib. 3. c. 11. n. 4. & Raphaël de la Torre *tom.* 2. in 2. 2. S. Thom. q. 99. num. 4. *disp.* 7. grad. 8.

Respondetur, nego antecedens; quia ut *supra* *sect.* 5. & *dub.* 6. & *seqq.* dicebamus, & dicemus *infra* *dub.* 4. *sect.* 2. num. 20. Tridentinum Concilium, & Constitutio Gregorij XIV. sustulit omnem consuetudinem in contrarium, quæ si iterum postea in aliquo loco legitime introducta sit, videant ipsi, qui id affirmant: nam si ita est, non audeo illam damnare, ut ibidem dicebamus, quamvis probabilius damnet alij, quos in locis *supra* cit. referebam, & alij, quos refert Diana *part.* 6. *tract.* 1. *resol.* 9. vide etiam Balboam de Mogrou. in *cap.* 1. de *foro compet.* n. 6. Palaum *tom.* 2. *tract.* 1. *disp.* *omic.* *punct.* 1. n. 5. Sperellum *decis.* 37. n. 63. & quæ dicebam *supra* cit. c. 8. & cit. *dub.* 27. per totam de *Parlamentis*.

Hinc, ut fur qualiscumque ille sit, siue sacrilegus, siue non sacrilegus, rebus furto sublati (sicut & quilibet alius reus armis prohibitis, quæ ad Ecclesiam defert) spoliari possit, recurrendum est ad iudicem Ecclesiasticum; qui cum in Ecclesia iurisdictionem exercere queat, poterit illum, siue per seipsum, siue per iudicem laicum, de licentia tamen ipsius, prædictis rebus spoliare, sicut & capere, etiam extra Ecclesiam, quando reus delinquendo sacrilegium commisit, cum sacrilegium sit mixti fori. Vide Bonacinam *tom.* 2. *disp.* 3. q. 7. *punct.* 5. n. 7. Dian. *part.* 5. *tract.* 1. *resol.* 9. in *fin.* Sperellum *decis.* 3. & 4.

Itaque huiusmodi fur, omnisque alius in Ecclesia delinquens capi poterit à Ministris Ecclesiasticis, quia commisit, inquam, sacrilegium, quod est mixti fori, quapropter in ipso datur locus præventioni, sicut ex multis probat Farinac. in *append.* *cap.* 22. num. 364. & Mar. Ital. lib. 1. *cap.* 5. §. 14. num. 7. Imò multi Doctores putant, delinquentem in Ecclesia, si Episcopo videbitur, tradi posse potestati sæculari, obtenta prius cautione, saltem iuratoria, de salute delinquentis quoad vitam, & corporis poenam, *cap. id.* *constituimus*, 17. q. 4. nam huiusmodi delictum, ut dicebam, est mixti fori, & delinquens non capitur autoritate laicæ potestatis, sed Ecclesiasticæ, cui Ecclesiarum immunitas non præiudicat, ut *supra* *dub.* 10. *sect.* 12. dicebatur de Clerico. Sic Suar. de *relig. tom.* 1. *tract.* 2. lib. 3. *cap.* 13. n. 3. Silu. *verb.* *Immunitas*, 3. q. 4. Peregrin. de *immunit.* *cap.* 6. n. 28. & *cap.* 13. *dub.* 9. n. 9. Mar. Ital. lib. 1. *cap.* 5. §. 3. n. 75. & 76. & Farinac. in *append.* *cap.* 16. n. 117. & 256. Vide quæ dicebam *dub.* 11. *sect.* 6. & *dub.* 19. *sect.* 1. & 3. in *fin.* & quæ dicebam *dub.* 25. 26. & 30.

SECTIO IX.

An priuetur blasphemus, & superstitiosus.

SUMMARIVM.

- 1 Blasphemus etiam Dei, & B. Virginis, ac superstitiosus, nisi de hæresi suspectus sit, gaudet immunitate.
- 2 Blasphemus etiam Dei, & B. Virginis in sententia multorum Doctorem non gaudet immunitate.

- 3 Qui delinquit aduersus Ecclesiam sponsum immunitate priuatur: ergo multo magis immunitate priuabitur qui delinquit aduersus Christum Iesum sponsum, & caput Ecclesie.
- 4 Non quilibet delinquens contra Ecclesiam sponsum, nisi mutilando, vel occidendo in illa, immunitate priuatur.
- 5 Blasphemus, si blasphemia sit hæreticalis, non gaudet immunitate, non ut blasphemus, sed ut hæreticus est.

EX dictis *sect.* *precedenti*, sequitur primò, quod neque immunitate priuetur blasphemus, etiam Dei, & B. Virginis, nec superstitiosus (nisi de hæresi suspectus sit, ut *supra* *dub.* 22. dicebatur.) Atque ita in terminis docent Nauarrus *cap.* 25. num. 20. Nouarius in *summa Bullarum*, tit. de *immunit.* num. 4. Bonacina *tom.* 2. *disp.* 3. q. 7. *punct.* 5. n. 13. Ambrosin. de *immunit.* *Eccles.* *cap.* 8. num. 11. Peregrin. *cap.* 12. num. 12. Megalium in 3. p. lib. 4. *cap.* 2. num. 6. Farinac. mutans sententiam in *append.* de *immunit.* *cap.* 13. num. 175. Gambacurta lib. 4. num. 9. & Diana p. 1. *tract.* 1. *resol.* 31. & 39. Quamvis contrarium sentiant Boërius *decis.* 110. Decian. lib. 6. c. 26. n. 5. & 6. Martha de *iurisd.* *part.* 1. c. 51. num. 30. & 31. Sanchez in *select.* *disp.* 44. num. 52. Oldrad. *consil.* 154. Remigius de *immunit.* *fall.* 24. Tusch. *verb.* *Ecclesia*, *concl.* 11. num. 51. Cutel. de *immunit.* *Eccles.* lib. 1. q. 39. Baiardus ad *Clarum*, q. 30. num. 15. Villalob. in *summa*, *tom.* 2. *tract.* 39. d. *fic.* 7. num. 20. Ludouicus Correa in *relect.* de *immunit.* *part.* 3. num. 35. Lezana num. 16. & Farinac. de *carcerib.* q. 28. num. 67. motus ex eo, quod si qui delinquit aduersus Ecclesiam sponsum, immunitate priuatur, multo magis immunitate priuabitur, qui delinquit aduersus Christum Iesum sponsum, & caput Ecclesie. At minus rectè, quia non quilibet delinquens contra Ecclesiam sponsum (nisi mutilando, vel occidendo in illa) immunitate priuatur, & quia in hac materia non valet argumentum à maiori rationis, & quia alioquin omne crimen (cum omne crimen sit contra Christum) immunitate priuaretur. Illud tamen rectè aduertit Farinacius in *cit.* *cap.* 13. num. 175. quod si blasphemia sit hæreticalis, blasphemus immunitate Ecclesie non gaudeat (ita ut in tali casu à Ministris S. Officij, ad quos solum spectat de hæresi cognoscere, extrahi possit) non quidem quia blasphemus, sed quia hæreticus, vel quia de hæresi suspectus, ut in *cit.* *dub.* 22. dicebam, & tradunt Cutell. *loc. cit.* Gambacurta *cit.* lib. 4. *cap.* 9. & Barbosa de *univ.* *iure Eccles.* *tom.* 2. *cap.* 6. n. 105. 122. & *seqq.*

SECTIO X.

An priuetur simoniacus?

SUMMARIVM.

- 1 Simoniacus, nisi sit cum errore intellectus (quia tunc est hæreticus, & exceptus in Constitutione Gregorij) non priuatur immunitate.
- 2 Simoniacus equiparatur hæretico, sed in poenis non valet illatio de casu ad casum.
- 3 Simoniacus equiparatur hæretico, si sit cum errore intellectus, si credat scilicet res spirituales posse licite emi, & vendi.

SEquitur secundò, quod neque immunitate priuetur simoniacus (nisi sit cum errore intellectus, quia tunc est hæreticus, & sic exceptus in Constitutione Gregorij.) Atque ita contra Decianum lib. 6. *cap.* 26. num. 5. ex communi docent Farinac. *cap.* 13. n. 177.